

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Cothmann Carolus Rhenisius

Disputatio Theologica De Providentia Divina

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739743260>

Druck Freier  Zugang



Vert. : C. Rhenissius

Foh. Cothmann.

R. U. theol. 1640



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn739743260/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739743260/phys_0002)

DFG

20.
171.

Disputatio Theologica,
DE
PROVIDENTIA
DIVINA,

Quam
Auxilio Dei res cunctas providen-
tia sua ordinantis

P R A E S I D E

Reverendo admodum, Clarissimo & Excellentissimo

V I R O

Dn. JOHANNE COTHMANNO

S. S. Theologiae Doctore & Professore,

Domino & Praeceptore suo venerando,

Publicè proponet

C A R O L U S R H E N I S I U S

Breslā Siles.

In Auditorio Majori

Ad diem 28. Martij horis à 7. matutinis.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M. D. C. XL.

1640





CVM DEO.

I.

Doctrinam de providentia necessariam equidem, attamen intricatam quodammodo esse, notum est ex quæstionum de illamotarum varietate. Unde *Zanchius libro s. de Nat. Dei cap. i p. 427.* ait: certe ea quæstio de providentia Dei semper fuit jam inde ab antiquis agitata temporibns, non tam apud Judæos, veterem scil. Dei populum, quam etiam apud gentiles, profanosq; scriptores: idq; tam variè tamq; diversè, ut de nulla planè re alia plures magisq; diversæ legantur, quam de providentia Dei hominum sententia. Quod cum ita sit, placet divina assistente gratia, orthodoxam de providentia Dei paucis Aphorismis seu Thesibus inclusam, repetere sententiam, præmissa prius Quæstione: an sit divina providentia.

II.

Hanc quæstionem licet illi negent qui omnia casu & fortuna facta esse, & quotidie fieri atq; contingere affirmant, qui ex *Psalmo 73. v. 11.* dicunt: non videt dominus nec intelligit Deus Jacob. conf. *Job. 22. v. 14.* Qui arbitrantur Deum non aliter mundum à se conditum deseruisse, us Architecti solent extructo & absoluto aliquo ædificio. Quò referri solet locus *Gen. 2. v. 3.* Verùm illam sententiam cum manifesta pugnare veritate, probat r. infinita Dei omniscientia, res omnes antequam fiunt præscientis & oculis divinis intuentis. videantur loca *Deut. 31. v. 20.* *Ose. 5. v. 3.* *Job. 6. v. 64.* *c. 18. v. 4.* *Act. 15. v. 18.* Unde Deus ipse argumentum suæ divinitatis desumit in *Esaia c. 41. v. 23. c. 46. v. 10.* 2. constantissima, & perpetua totius mundi gubernatio & conservatio insigne divinæ providentiae argumentum est conf. *Psal. 119. v. 90. 91.* *Psal. 36. v. 8.* *A 2* *Psal. 104.*

*Psal. 104. v. 14. 27. Psal. 147. v. 9. Matt. 6. v. 26. 28. Col. 1. v. 17 Hebr. 1.
v. 3. 3. Hominum piorum & impiorum conscientiae, Deum bonorum operum remuneratorem, & malarum actionum justissimum vindicem esse testantur, eoq; ipso Deum omnia sapientissime gubernare probatur vide Gen. 4. v. 13. 14. Psal. 139. v. 28. Matth. 27. v. 4. Rom. 2. v. 15. 4. Exempla quoq; scripturæ, hominum singulariter conservatorum providentia divina argumentum suppeditant. Sicuti in Noachœ, Daniele ejusq; socijs, Paulo & alijs infinitis videlicet. Thesis ergo certissima est, dari divinam providentiam.*

III.

Cum ergo quid sit quaeritur? illam ita ex scriptura describimus. Providentia est actio Dei omnia scientis & videntis, qua sine ulla intermissione, creaturas à se conditas sustentat & conservat, bona omnia clementer promovet: mala verò severè prohibet, & ad bonos fines pro infinita sua sapientia dirigit, & sæpe propter homines pios omnia ita moderatur, ut multa in causis secundis mitiget & impedit. Descriptio hæc ex hisce scripturæ locis est de sumpta Psal. 94. v. 8. Psal. 34. v. 16. 17. Col. 1. v. 16. 17. Hebr. 1. v. 3. Act. 17. v. 28. Psal. 104. v. 29. Psal. 148. v. 5. 6. Job. 28. v. 25. Jos. 10. v. 13. C. 3. v. 16. Neh. 9. v. 6. Dan. 3. v. 27. & passim.

IV.

In hac descriptione licet mentio fiat præscientia divina, ita ut illa à providentia nunquam separetur; hinc tamen male infertur Dei præscientiam & providentiam esse unum & idem, nihilq; inter illa duo esse discriminis. Præscientia enim præcisè ad notitiam & cognitionem, non verò providam Dei curam, directa. Et Deus æquè præscit mala ac bona. Hinc Chemn. part. I. L. C. p. 349. eleganter ait: Providentia non simpliciter significat notitiam, sed complectitur etiam affectum. Præscientia verò simpliciter notitiam significat, & tam de bonis, quam malis accipitur. Licet ergo con juncta sint, discriminem tamen admittunt. Unde August. lib. 4. cap. 27. de Civit. Dei rectè inquit: Ita factum est, ut nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præsciendo quenquam peccare compeleret.

V. Pro-

V.

Providentia autem Dei pro diversitate objectorum, est vel generalis, qua totum naturæ ordinem, prima creatione constitutum conservat, & unam quamq; naturam motus creatione inditos exercere sinit. Ordinaria enim providentia Deus sicuti res creavit, ita & conservat. In hac autem providentia saepe ad nominis sui gloriam illustrandam extraordinarie Deus agit. Sic ignis non consumbit rem combustibilem Ex. 3. v. 2. Dan. 3. v. 29. Aquæ usitatum cursum intermitunt Jos. 3. v. 16. Asina loquitur Num. 22. v. 30. voraces corvi pascunt Eliam 1. Reg. 17. v. 6. concluduntur ora leonum Dan. 6. v. 22. vestes non atteruntur Deut. 8. v. 4.

VI.

Ab hac generali providentia nulla creatura, minimalicest sit excluditur, omnia enim Deus quæ in mundo sunt dirigit, conservat & gubernat Psal. 33. v. 13. 14. 15. Matth 6. v. 28. c. 10. v. 29. Neq; locus i. Cor. 9. v. 9. contrarium dicit, ubi Paulus querit: num boves Deo sunt curæ? Apostolus enim non negat boves Deo esse curæ, cum id David expressis verbis affirmet Psal. 36. v. 8. conf. Psal. 104. v. 27. Psal. 145. v. 15. 16. sed innuit à minori: si boves Deo sunt curæ, quod ex lege Deut. 25. v. 4. probatur. Multo magis Apostoli & Ecclesiæ ministri, utpote quorum opera Deus in propaganda Ecclesia utitur. Si ergo id inest quod minus, multo magis id inerit, quod majus. Hunc genuinum esse Apostoli scopum, ipsa textus à uero via arguit.

VII.

Licet verò in hac generali providentia Deus immediate multa operetur, non tamen semper, sed saepius aliorum utitur ministerio, quo referimus hominis totius anima & corpore constantis in utero materno formationem. Animæ enim hominum hodie non immediate creantur, sed vi benedictionis primævæ Gen. 1. v. 28. post diluvium quoq; repetitæ Gen. 8. v. 17. tetus homo totum gignit hominem. Benedictio enim divina, non ad corpus solum, sed simul animam, utpote nobiliorem hominis partem referenda. Neq; dicendum est, benedictionem hanc divinam minus operatam fuisse in

homine, quam bestijs. Leo ex benedictione divina gignit leonem, ursus ursum & sic deinceps. Cur non homo nobilissima illa creatura generaret hominem? Deus ex costa animata Adami Evam formans, non legitur novam inspirasse animam. Cum euim costa illa animata erat, quid nova anima inspiratione opus fuit? Adam post lapsum Sethum filium ad imaginem & similitudinem suam Gen. 5. v. 3. genuisse dicitur. Seth ergo animam mediantibus parentibus habuit. Quod si anima hodie divinitus immittatur, non facta per parentes propagatione, quomodo David se in iniuitate conceptum esse ait Psal. 51. v. 7.

VIII.

Et si Christus animam ex Maria virgine non assumpisset, quomodo anima curata dici potuisse. Quod enim Christus non assumpit non curavit. Quamvis vero propagationis modus, ut & aliæ circumstantiae plenè à nobis exponi nequeant; non tamen ab ignorantia modi, ad negationem rei valet consequentia. Non vero sententiam hanc impugnant loca, quæ Deum animam dedisse dicunt Eccles. 12. v. 7. Zach. 12. v. 1. Nam sicuti non sequitur: Deus format corpus Job 10. v. 8. 9. 10. c. 31. v. 15. Psal. 139. v. 5. 15. Jer. 1. v. 4. Ergo immediate format. Pari ratione de anima, altera hominis parte essentiali id concludendum non erit. Dat ergo Deus animam, modo à se constituto, mediate scil. per parentes.

IX.

Ad Providentiam generalem certum vitæ terminum, quatenus ille implijs quoq; communis est referimus. Illum quidem prævia scripturâ, Dei respectu, certum & definitum appellamus ex Job. 14. v. 5. Psal. 31. v. 16. Psal. 139. v. 16. non tamen simpliciter fatalem ac necessarium, nullo impietatis habito respectu. Quod constat ex promissionum divinarum veritate Eph. 6. v. 2. comminationum impietatem vindicantium severitate. Psal. 55. v. 24. eonf. Gen. 9. v. 6. 1. Cor. 11. v. 29. 30. & precum singulari efficacia Ex. 32. v. 11. 2. Reg. 20. v. 5. Act. 27. v. 24.

X.

Circa providentia universalis considerationem, quæstio illa multum vexata moveri potest; quomodo scilicet Deus circa peccatum verse-

versetur *Bucanus* *Loc. 14.* *Thes. 10.* quarens an etiam Deus in impiorum cordibus operetur, & illorum opera sua providentia decernat & regat? Respondebat, qui admittit S. scripturam, id inficiari nullo modo potest, fieri videlicet nihil posse, nisi quod ipse decernit. *Calvinus lib. 1. Institut. cap. 18.* ait: volente ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ poenas daturus est. Et negat Dei tantum permisso id fieri, sed etiam voluntate. Et postmodum concludit, nil efficere homines, nisi arcano Dei nutu, nec quicquam delibерando agitare, nisi quod ipse jam apud se decreverit, & arcana sua directione constituerit.

XI.

In subsequentibus clarius se explicat, & mentem suam expōnit, ita ajens: Deus toties pronunciat se excæcare hominum mentes & vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Hæc etiam ad permissionem multi rejiciunt, ac si deserendo reprobos à Satana ex cæcari fineret. Sed cum disertè exprimat Spiritus S. justo Dei iudicio infligi cæcitatem & amentiam, nimis frivola est solutio.

XII.

Beza in responsione ad acta colloq. *Mompelg.* p. 175. inquit: malorum quoque malas voluntates sancte semper & recte à Deo non tantum frenari & regi, sed etiam moveri &c. *Calvinus lib. 3. cap. 23. §. 4.* dicit: Fateor sane in hanc qua nunc illigati sunt conditionis misericordiam, Dei voluntate decidisse universos filios Adam §. 8. cadit homo Dei providentia sic ordinante §. 9. ex Dei ordinatione impensis injicitur peccandi necessitas.

XIII.

Zanch. lib. 5 de Nat. Dei cap. 2. ait: Deum velle ea quæ homines indurati admittunt; ut quod rebellent, sicut fecit Pharao. p. 548. Deus excitavit Pharaonem ad indurationem sui cordis, ut resisteret Mosi, denique excitavit ad omnia illa agenda, quæ egit mala, h.e. creavit hunc hominem ad hæc omnia mala. Quia vero *Wendelinus lib. 1. cap. 6. Christiana Theologiae* pag. 176. Bezam cum Calvinio indignis modis à calumniatoribus in hoc argumento flagellari affligimat, videamus quid præstet. Dicit Bezam in abstensione calum-

calumniarum Heshusij respondere hisce verbis: causa peccati est tota in Satana & in nobis. Et subjungit Deum non novam infundere, sed eam quæ hominibus innata est pro infinita sua sapientia quando & quomodo libuit movere, gubernare, flectere, regere de niq; moderari, ad nominis sui gloriam, inscijs etiam impijs. Hæc quidem verba sôbriè explicata saniora sunt, alijs antea allegatis. Quomodo verò conciliari invicem possunt vix videmus. Imprimis si argumenta Calvinii, ut & ipsius Wendelini, pensitaverimus. Elabi quidem conatur Wendelinus dum quatuor observanda & distinguenda in peccatis hominum, circa quæ divina occupatur permisso dicit 1. actionem per se, quatenus est actio. 2. vitium actioni inhærens. 3. directionem organi mali & actionis vitiosæ in objectum certum. 4. finem directionis è quo accidit peccati iudicij divini ratio, ut per hominum peccata Deus exequatur justa sua judicia. Primum, tertium & quartum à Deo esse affirmat.

XIV.

Quod verò non tantum quæstio sit de actione ipsa, directione ad certum objectum, ut & fine. Sed & vitio actioni inhærente, satis constat ex ante allegatis locis. Quod si ut lóquuntur allegati auctores, ita non sentiunt, corrigant linguam. Nam ex verbis tuis judicaberis: qui enim dicit ex Dei ordinatione impijs injici peccandi necessitatem. Lapsum esse Adamum Deo volente & ordinante, Pharaonem excitatum à Deo esse ad agenda mala. Quid aliud ille affirmat, quam vitium actioni inhærens esse à Deo. Quod ut eo dilucidius appareat considerabimus hac vice solum argumenta à Wendelino allegata p. 178. quibus vult probare cum permissione Dei, concurrere quoq; efficacem Dei actionem & concursum Dei cum pravis hominum actionibus scripturam aliquot locis exprimere. Argumentum primum desumit ex 2. Sam. 12. v. 11. ubi uxores Davidis Absolomo filio violandas à Deo esse traditas scriptura dicit. Respondeo. In loco illo duo bene sunt distinguenda. 1. impurus Absolomi animus, à Diabolo instigante, & Absolomo consentiente profectus. Ille certè non est à Deo impuritatem illam prohibente Lev. 18. v. 7. & in Absolomo peccatum hoc enorme,

commi-

commisit 2 Sam. 18. v. 14. & Achitophele qui consilium perpetrandi peccati dedit 2. Sam. 16. v. 21. graviter puniente 2. Sam. 17. v. 23. 2. Justissima adulterij à Davide perpetrati poena Deum auctorem habens. Quo respectu dicitur in textu: Ego suscitabo malum, uxores tuas dabo proximo, ego faciam verbum hoc. Quod nulla ratione de ipsa Absolonis impuritate intelligendum, quod castitatis amantissimus Deus illam usque ratione promoverit aut excitarit, absit ut illud cogitemus, nedium dicamus. Verum Deus sapientissimus malitiam Absolonis à Diabolo excitatā, & consensu impuri Absolonis approbatā bene uti voluit, ad emendationem scil. Davidis. Dicente enim August. lib. 14. de Civ. Dei cap. 27. Deus non solum bonis sed etiam malis bene uti novit. Licet autem Deus peccata in bonum finem dirigat; hinc tamen nullo modo inferendum, illum ad malas hominum actiones, lege morali prohibitas efficaciter concurrere. Quomodo enim Deus efficaciter influeret ad id, quod si bi displiceret, quodq; graviter punit?

X V.

Deinde ex 2. Sam. 16. v 10. ait: Deum præcepisse Semeo, ut malediceret David. Respondeo. Deus ejusmodi maledictionem lege expressa vetuit Ex. 22. v. 28. Ad. 23 v. 7. & in Semeo graviter punivit 1. Reg. 2. v. 9. 46. cujuscunq; ergo rei Deus est ultor & osor: illam rem non promovet, nec ad illam excitandam efficaciter concurrit. Quando ergo David ait: Dominus dixit ut malediceret David, sensus non est; Semeum voluntate Dei efficaci & probante maledixisse, id enim si verum esset, Semei nulla ratione peccasset. Nemo enim implendo Dei voluntatem peccat. Res ergo ita se habet, ut egregie explicat Chem. in Loc. de causa peccati p. 376. Cum Deus vellet Davidem peccatis exercere, & Semei haberet maledicuum animum, dixit ei, ut malediceret Davidi, non operans vel efficiens in ipso animum malevolum. Ufus ergo est Deus malitiā à Diabolo excitata, & prava hominum voluntate ortā, ad irrogandam Davidi poenam. Quae vero consequentia? Sapientissimus Deus malo bene utitur. Ergo malum excitat!

B.

XVI. Ter

XVI.

Tertio ex Ezech. 14. v. 9. colligit à Deo falsos Prophetas pelli-
ci & seduci. Respondeo rectè explicandum est, qua ratione Deus
seducat falsos Prophetas. Id autem sit, non quod Deus mendacum
falsis Prophetis instillet: illud enim est Diaboli proprium Joh. 8. v. 44.
sed quod eosdem dono prædicendi futura privet, utpote falso vati-
cinantes, non missi à Jehova Jer. 14. v. 14. Hoc autem dono privati,
nil nisi sua somnia proponunt. Dicuntur ergò seduci dum even-
tus prædictionibus pseudo Prophetis non responderet conf. Jer. 28.
v. 9. 15. 1. Reg. 22. v. 11. 12. Quæ verò sequela? Pseudoprophetæ contra-
Dei voluntatem prophetantes seducuntur, dum eventus vaticinio
illorum non responderet. Ergone inferam: Deum efficaciter
concurrere ad falsorum prophetarum actiones? Illud enim falsissi-
mum esse, indicant verba subsequentia, v. 9. 10. quibus poenam
pseudo Prophetis immittendam. justissimo judicio Deus subjugit
hisceverbis: extendam manum meam super Prophetam, & delebo
eum è medio populi mei Israei.

XVII.

Quarto ex 1. Reg. 22. v. 22. probat, à Deo Spiritus malos immit-
ti, addito nocendi præcepto. Respondeo textus circumstantia evi-
denter demonstrant agi ibidem de peccatis Achabi, & poenis sub-
secuturis. Dicit ergò Deus postquam à Satana Achab accusatus:
quiſ תְּבוֹנֵן persuadet Achab; ut abeat scilicet ad locum occisioni
suæ destinatum. Diabolus operam suam offert, tanquam Dei
carnifex. Accurare ergò textus distinguit 1. Inter accusationem
Achabi propter antegressa peccata, à Diabolo institutam. 2. Dei
decretum post illam accusationem. 3. Ipsam executionem &
punitionem Diabolo commissam. Hinc verò minimè infer-
tur: Quia Deus tradit Achabum Diabolo propter antegressa
scelera; Ergò Deus ad malas hominum operationes efficaciter
concurrit. Contrarium potius inde evincimus, hoc modo: Qui-
cunq; punit homines propter operationes malas, ille efficaciter
non concurrit ad easdem producendas. Prius verum est dicente
textu. Ergo.

XIX. Quin-

XIX.

Quinto urget locum *Jer. 15 v. 8*. ubi Deus vastatorem adducet dicitur. Respondeo. Non nulli vastatorem meridiei exponunt de peste ob locum *Psalm. 91 v. 6* Quæ explicatio si obtineret, nihil subsidij haberet ex allegato loco Wendelinus. Nos illam explicationem non quidem absurdam, nec à textus visceribus omnino alienam arbitramur. Magis tamen propriam censemus expositionem illam, quæ prophetam de irruptione & bello, à rege Babyloniorum propter peccata enormia Judæorum immittendo loqui ajunt. Illa enim interpretatio non tantum *Exodus. 2. 3. 9. 14*. dilucidè erinatur, sed & totidem ferme verbis *Cap. 21. v. 10* indicatur. Quis verò nexus argumenti? Deus justissimus Judæos pactum Jehovæ derelinquentes, & legem DEI non custodientes, bello per Babylonios punivit *Jer. 16. v. 10.* & seqq: Ergo Deus ad actiones malas efficaciter producendas concurrit. Imo invertendum potius esse argumentum quilibet animadvertisse.

XIX.

Sexto profert locum *2. Thess. 2. v. 11*. ubi Deum efficaciam erroris mittere, ut credatur mendacio, dicitur. Respondeo. Describi in eo loco justissimam peccatorum poenam, contumacibus veritatis hostibus immittendam, adeò clarum est, ut qui illud negaret, aperæ veritati contradiceret. Expressis enim dicitur verbis: eò quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illos Deus efficaces errores. Cum ergo queritur, quomodo Deus efficaciam erroris mittat? dicendum est, illud non fieri, per cæxitatis spiritualis in corda impiorum immissionem, aut novæ duritiei productionem, sed per gratiæ divinæ, qua homines impij se indignos reddunt, subtractionem. Cum enim homines impij Deum relinquent, vicissim à Deo justè deseruntur *2. Par. 15. v. 2. Psalm. 81. v. 13. Esa. 5. v. 5.* & Satanæ iusto judicio traditionem *i. Reg. 22. v. 22*. Diaboli enim proprium est corda impiorum pervertere *Act. 5. v. 3* & malitiæ implere *Job. 13. v. 2. conf. i. Cor. 7. v. 5. Act. 13. v. 10. Matt. 13. v. 28*. Quando ergo impij justissimè à Deo sunt deserti, & Diabolo traditi, capti sunt ab eo ad ipsius voluntatem *2. Tim. 2. v. 26*. postquam ergo sen-

suis incredulorum excœcavit Diabolus. 2. Cor. 4. v. 4. semper peccant.
August. rem hanc recte explicat Epist. 105. ad Sextum. p. 533. his ver-
bis: nec inducat Deus impertiendo malitiam, sed non imperti-
do misericordiam.

XX.

Septimò adducit locum Esa. 19. v. 14. ubi Deus spiritu verti-
ginis homines implere dicitur. Respondeo Affirmatur Deus Ägy-
tios & Judæos ob antecedentia illorum peccata spiritu vertiginis
implevisse, quod ramen intelligendum non est, de efficaci exercitatis
spiritualis operatione, aut immissione, quasi Deus coecitatem in im-
piorum cordibus produxit aut promoverit, sed quod illos ita ju-
stè ob peccata desertos, maligni spiritus malitia permiserit, & gra-
tiā sua privaverit. Quando itaq; homines præfractè peccantes
gratiam Dei fastidunt, Spiritum S. exacerbant Esa. 63. v. 10. pecca-
tisq; contristant Eph. 4. v. 30. ac auribus suis graviter audiunt, &
oculos, ne convertantur, claudunt Matth. 13. v. 15. Att. 28. v. 27. miscit
Deus Spiritum vertiginis. Id autem fit quando suæ homo relin-
quit malitiæ, justissimè à Deo ob præcedentia peccata desertus.
Quia enim cor hominis sibi relictum tantum malum, & quidem
כִּנְעָרֶן à pueritia proinde malus ille homo ex malo cordis sui
thesauro depromit mala Matth. 12. v. 35. Quomodo enim ille bona
potest loqui qui malus est. v. 34. cum arbor mala ac putris non pos-
sit bones fructus edere Matth. 7. v. 18. Imprimis si secundo consi-
derenius ejusmodi hominem ita desertum, Diabolo ob peccata ef-
fe traditum, qui de suo Job. 8. v. 44. hominem suo arbitrio ob de-
licta relictum excœcat. 2. Cor. 4. v. 4. & malitiæ implet Att. 5. v. 3.

XXI.

Octavò profert locum Jer. 13. v. 12. 13. Responsio ex præce-
dentibus commode peti potest, scilicet describi penam à justissi-
mo Deo immittendam, ob peccata Judæorum plane enormia con-
v. 24. 28. Quomodo itaq; Deus implet vertigine ex loco præceden-
te peti potest.

XXII. Non.

XXII.

Non irget dictum *Esa. 54. v. 16.* ubi à Deo creari homicidam asseritur. Respondeo repetenda hīc sunt quæ ad locum primum *Theſ. 14.* dicta sunt. In specie autem proponitur allegato loco consolatio ipsi Ecclesiæ extenorū hostiū violentiam metuenti, ac propterea trepidanti. *v. 11.* desumpto argumento à provida Dei erga Ecclesiā cura ac paterna providentia. Cujus argumenti summa est: Ecclesiæ hostiū molimina in Dei esse manu, quæ non in Ecclesiæ perniciem, sed potius incrementum & emolumentum dirigit. Unde illorum conatus secūs sape ac ipsi hostes arbitrantur contingent. Proinde eosdem non esse nimium timendos. Quæ verò consequentia? hostiū Ecclesiæ conatus Deus dicitur creare, id est, in salutem Ecclesiæ dirigere, dum illorum impietatem, quam Deus non fecit sed invenit & inventa bene utitur, ad fines bonos applicat. Ergo efficaciter Deus concurret ad malorum hominum actiones? Aliud est Deum efficaciter ad malas hominum actiones concurrere; & aliud malis hominum actionibus à Diabolo excitatis, & hominum impiorum consensu ortis bene uti. Ultimum ex allegato probatur loco, non primum.

XXIII.

Decimo adducit locum *Esa. 53. v. 4.* ubi à Deo Christum vulneratum esse dicitur. Respondeo. Quia Christus nostra peccata sibi imponi libera voluntate *Hebr. 10. v. 9.* passus est, & pro nobis peccatum factum *2. Cor. 5. v. 21.* conf. *Pſal. 40. v. 14.* Ideo justissimus Deus proprio suo filio totius generis humani peccata imposta habenti, nostramq; personam sustinenti non pepercit *Rom. 8. v. 37.* Hincne concluditur Deum ad actiones hominum impiorum efficaciter concurrere? Nos potius ita colligimus: Quicunq; actiones hominum malas ita detestatur, ut easdem in proprio filio unigenito ac dilectissimo puniat. Ille utiq; ad malas actiones producendas non concurret. Quomodo enim sanctissimus Deus promovendo concurreret ad id, quod extremè detestatur?

XXIV.

Undecimus irget locum *Act. 4. v. 28* in quo manu & consilio suo Deum prædefinitie asseritur quæ Herodes & Pilatus fecerunt. Re-

spondeo : textus accurate distinguit nefandū ac sceleratum Judæorum factum, odio & malitiā erga Christum profectū, à sapientissima Dei pessimiſ Judæorum conatibus optimè utentis, gubernatione ad redēptionem generis humani directa. Illud indicatur, dum dicitur: Herodes & Pilatus convenerunt facere, quæcunq; manus tua & consilium tuum prius decreverant fieri. Non dicitur, quod benè notandum est, Deum decreuisse ut Judæi hoc facerent, sed ut illa fierent. Judæorum ergo prava intentio & plusquam Diabolica actio, odio & invidiā in Christum profecta, à paterno Dei amore totum genus humanum in peccata prolapsum morte filij redimere volente discernenda erit. Videns enim Deus sanguinarium Judæorum erga Christum animum, illo bene uti voluit. Ut & hic obtineat quod à Josepho dictum Gen. 50. v. 20. vos cogitastis malum, sed Deus veritatem illud in bonum. Deo licet passio filij placuerit, actionem tamen Judæorum illi minimè placuisse indicat Petrus Act. 3. v. 19. ubi Judæos ob illud factum ad pænitentiam invitavit, quam cum non agerent, totius urbis excidio vindicavit per Titum & Vespasianum teste Josepho.

XXV.

Duodecimo producit locum 2. Par. II. v. 4. ubi defecatio decem tribuum Dei opus esse affirmatur. Respondeo peccaverat graviter Salomon sequendo Deos alienos; comminatur ergo Deus Salomoni poenam I. Reg. II. v. 11. inquiens: quia non custodivisti præcepta & pactum meum, scindam regnum tuum à te, & dabo illud servo tuo. Hoc autem impletum c. 12. v. 15. 16. Id autem divina factum est voluntate, peccata Salomonis legitime vindicante. Deus enim quia est Dominus celi & terræ Psal. 24. v. 1. Matt. II. v. 25. regna mundi distribuit sicuti vult Dan. 4. v. 22. Hinc verò nullus ad actiones malas Dei infertur concursus.

XXVI.

Tandem adducit illa loca, ubi à Deo tyrannos vocari & sanctificari ad judiciorum suorum executionem dicitur; quos vocet secures, serras, virgas & malleos Dei, quos pro arbitrio suoregat & adhibeat ad contundendos impios Esa. 19. v. 5. 6. 6. 13. v. 3. Respondeo,

deo; in his locis actio Dei justissima, à perversis hominum moti-
tionibus & conatibus est distinguenda. Decrevit Deus ob pec-
cata visitatione iræ animadvertere in Iudæos, utitur opera Nebu-
chodonosaris sua sponte belligerare volentis. Intentio autem Ne-
buchodonosaris longè alia fuit ac ipsius Dei ut dicitur Esa. 10 v. 7. 12.
Quatenus itaq; Rex Babylonie Dei in puniendis Iudæis fuit mini-
ster, appellatur virga furoris. Dicitur quoq; securis & clerra, quia illius
potentia fuit limitata, ne amplius quam Deus voluit aut concessit,
nocere posset. Medi & Persæ dicuntur sanctificati Ies. 13. v. 3. itidem
respectu ministerij in puniendis Babylonij præstiti. Licet vero
Rex Babylonie, ut & Medi ac Persæ peccarint, quatenus eandem
cum Deo intentionem non habuerunt conf. Esa. 10. v. 7. Dei tamen
actio fuit justissima. Quando enim propter peccata homines puni-
usta Dei actio est.

XXVII.

Hactenus itaq; Wendelini vidimus argumenta, quibus pro-
bare voluit efficacem Dei actionem & concursum cum pravis
hominum actionibus. Ut autem veritas eodilucidior fiat, men-
tem nostram circa hanc questionem paucis exponemus. Primo
extra controversiam ponimus, Deum sanctissimum peccatis non
delectari Psal. 5. v. 5. quæcumq; ergo in mundo sunt peccata, non
sunt ex patre sed ex mundo i. Job. 2. v. 16. Hinc operantes iniquita-
tem Deus abominari dicitur Deut. 18. v. 12. & odisse Psal. 45. v. 8.
Zach. 8. v. 17. Unde homines malum facientes eligunt quæ Deus
non vult Esa. 65. v. 12. Et, ut recte ait Chemn. de caus. peccat. p. 362.
manifestissimum argumentum est λύροι filij Dei, quod peccata
extremè displicant Deo.

XXVIII.

Hæc verissima sunt & negari non possunt, adeò ut Plato salvifi-
ca Dei cognitione non imbutus dixerit Dial. 2. p. 555. Bonorum so-
lus Deus causa: malorum autem quamlibet aliam præter Deum
quærere decet; interim tamen circa peccata Deus non est otiosus
spectator. In genere ergo Deus peccatum præscit, naturam sus-
tentat, severissima addita comminatione prohibet, quam cum ho-
mines

mores susq; deq; habent, justè à Deo deseruntur, & potestati Sathanā traduntur, qui illos captivos tenens, ad omnis generis peccata instigat. Ne tamen Diabolus pro lūbitu grassari queat, Deus metas certis præfinit, bonum sæpius pro infinita sua sapientia ex peccato elicit. Et licet peccato Deus quandoq; bene ad exequenda sua justa judicia utatur, absit tamen ut illum propterea ad pravas hominum actiones concurrere, affirmemus; infinitis quippe parasangis distant hæ assertiones: Pharao excitatus à Deo ad agenda mala, ut Zanchium loquentem audivimus *Tb* 13. Et: Deus Pharaonis malitia ad nominis sui gloriam manifestandam usus est. Constat igitur his e dictis quomodo Deus circa peccata versetur.

XXIX.

Unam adhuc circa providentiam generalem considerabimus quæstionem, utrum scil. Deus mundum hunc sit destructurus secundum essentiam & substantiam. In hac quæstione si verborum scripturæ emphases consideremus, in affirmativam descerdere non veremur. Dicimus ergo mundum interitum, sicuti vestis aliqua veterascens mutari solet *Psal.* 102. v. 27. 28. & quidem igni omnia absumente & secundum essentiam destinente 2. *Pet.* 3. v. 7. hinc post illam destructionem locus mundi non amplius invenietur *Apoc.* 20. v. 11. c. 16. v. 20. Cœlum enim & terra abiisse dicitur & mare non amplius esse *Apoc.* 21. v. 1. In hac simplicitate permanemus, neq; novam cœlorum ac terræ innovationem scripturæ ignotam astruimus. Hactenus providentiam generalem vidimus: sequitur specialis.

XXX.

Providentia ergo specialis est, quæ versatur circa Ecclesiam & singulos pios in Ecclesia viventes. Hos enim sicuti specialiter & plusquam paternè diligit; ita quoq; specialem illorum gerit curam. Angelis suis mandat ut custodiant illos in vijs suis *Psal.* 91. v. 11. Deduxit populum sicuti oves *Psal.* 77. v. 21. & custodit sicut pupillam oculi. *Dent.* 32. v. 8. Et quamvis sæpius gravissimis involvantur calamitatibus, mirabiliter tamen ex ijsdem, Dei providentiâ liberantur, sicuti exempla Patriarcharum aliorumq; Sanctorum abunde

abundè testantur. Et quia illa nota sunt, in illis recensendis non erimus prolixiores. Hic igitur concludentes Patri misericordiarum devotas agimus gratias, quod hisce miserrimis temporibus non planè nos deseruerit, sed gratia suâ & provida curâ nobis adesse, ne in nihilum redigeremur, voluerit. Quia verò peccatis nostris atrocissimis maiores meriti sumus poenas, devotis Deum rogamus precibus, ne in ira sua nos visiteret, sed misericordia sua memor clementer nos respiciat, exulum profundos gemitus & suspiria benignè exaudiat, quò tandem ex hac misericordiarum valle liberati, in cœlestem transferamur mansionem, ubi verum est m̄eritum, ubi Deum sine fine videbimus & sine defatigatione laudabimus.

SOLI DEO GLORIA.



*Praestantissimo & Doctissimo
Dn. RESPONDENTI.*

Asserere providentiam si olim - sophis
Necesse visum, hanc maximè ob causam fuit,
Bonis viris quod evenirent haud bona :
Non miror equidem RHE NISI doctissime,
Theologicā quod in schola hanc nunc causam agis,
Quando optimè est malis, bonisq. pessimè :
Quin potius appreco, tua ut qui hac legerint,
Solatia hinc capiant boni, metum malū.

Amicè applausurus scribebam
M. JEREMIAS NIGRINUS
Scholæ Rostoch. Rector.

C

Non

Non Bachum sœvum; Venerem non curat
avaram;
Non Martem crudum Carolus ille meus,
At teneris verò suavissima Numinia Vatum
Omnibus officijs suspicit atq; colit.
Perdius & pernox scrutatur mente sagaci
Et summi dicit iussa verenda Dei.
Varniacæ Musæ testantur, credito lector
Hoc, quarum examen comprobat atq; subit.
Nec non hoc doctum specimen testatur, Athene
Quod dat Varniacis, Præside magnifico nis
Ergo Rhenisio grator, quod crimina spernit,
Virtutis contrâ fert onus atq; decus.

*Amicitie & gratulationis ergo
apponit*

M. ADAMUS SEIDENSCHWANTZ,
Scholæ Senat. Collega.

Was were sterter Fleiß/ was embstiges beginnen /
Was vngesparte müh' der kein mahl matten sinnen?
Wenn zur Vergeltung nicht die Tugend schencke den
Lohn /
Der nimmer sterblich ist/des Nahmens grossen Thon.
Was strenge Soldaten doch ans harte Joch der Kriege/
Was macht jhn sterben süß? Thuts die Begier der Siege/
Und grossen Ruhmes nicht? Die reizet Jason an
Zum kämpfen/ das er dort zu Colchos hatt gehan.

Dix

Dich eben freibet auch / O Freund der Pierinnen /
Vnd zarten Gratien, dein eisriges Beginnen /
Dahrichtet deinen Weg/ dich zeiget dir die Bahns/
Nach Pyndus Awen hin / ja gar bis Himmel an.
Vollende solchen Lauff; es wird dir warlich werden
Der Tugend grosser Lohn/ der nimmer in die Erden
Mit dir wird eingesezt; Ja der zu keiner frist
Vom vntergehen weis/vnd nimmer sterblich ist.

Dem Herrn RESPONDENTI
seinem vielgeneigten Freunde
schenkt dieses

ANDREAS Uffleg von Breslaw.

Terrigenum varijs Numen comitetur ut actus,
RHENISI, intrepida voce animoq; doces.
Scilicet, haud hominum Numen malefacta jubere
Neve juvare (malos quo malus error agit.
Verum, quam meret impetas, hos mergere clades
Atq; mali vacua mente fovere pios.
Sic retegus, male quas deamat gens prava, latrbras,
Subdola queratio subrogat arma, fugas.
Propugnare pie pietatem Numinis insta,
Nec te grata Dei gratia deficiet.

Hac L.Mq; Pristantissimo Domino RESPONDENTI
Amico suo candidissimo inserebat

GREGORIUS Blech Lubenaviā-
Lusatus.



Gregorius Sampsonius *Amicorum scribentium et amicorum scriptorum* *Amicorum scribentium et amicorum scriptorum*





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn739743260/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739743260/phys_0023)

DFG



Dis eben freibet auch / O Freund
Vnd zarten Gratien, dein eisrig
Das richtet deinen Weg/ dis zeige
Nach Pyndus Awen hin / ja gar
Vollende solchen Lauff; es wird dir
Der Tugend grosser Lohn/ der nimm
Mit dir wird eingeschzt; Ja der zu
Bom vntergehen weis/vnd nimm


Dem Herren Res
seinem vielge
seke

ANDREAS AßL

Terrigenum varijs Numen comite
RHENISI, intrepidâ voce an
Scilicet, haud hominum Numen malefa
Neve juvare (malos quo malus e
Verum, quam meret impietas, hos mer
Atq; mali vacua mente fovere p
Sic retegns, male quas deamat gens pra
Subdola qvaratio subrogat arma
Propugnare piè pietatem Numinis inst
Nec te grata Dei gratia deficies.

Hæc L.Mq; Præstantissimo Don
Amico suo candidissim

GREGORIUS V



the scale towards document

nen /
/
n/
an.
en
en

flaw.

DENTI

aviā-